



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Enchiridion Erasmi Roterodami Germani De Milite Christiano**

**Erasmus, Desiderius**

**Lypsi, 1516**

**VD16 E 2746**

Epilogus remediorum contra, incentium libidinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33324**

¶ Senex,

& coerenda, in vetulo vero portentosa, & ipsis quoque voluptatum sectatoribus deridicula. Inter omnia monstra nullum monstrosius senili libidine. O delire, & nimium oblite tui, saltem ad speculum, canos & capitis niues, aratamque rugis frontem, cadauerique simillimam faciem contemplare, ac iam capulo proximus, alia annis tuis magis consentanea cura, Saltem quod ratione decuerat facere, hoc annis admonitionibus vel cogentibus potius facito. Ipsa iam te voluptas repellit, neque ego inquam iam tibi decora sum, neque tu mihi idoneus. Lulitu satis, edisti satis atque bibisti. Tempus abire tibi est. Quid adhuc vitæ perpremis deliciis, quum ipsa etiam te deserat vita? Iam tempus est, ut aliquando incipiat in sinu tuo cubare mystica illa concubina Abylag. Ea sancto feruore calefaciat mentem tuam, huius amplexibus frigentia membra confoueat.

Aysagista hie  
ronymo sapien  
tia mystice sig  
nificat

3. Re. 1.

¶ Epilogus remediorum contra  
incentuum libidinis.

Iam vero ut summam perstringam, hæc sunt potissimum quæ te a carnis illecebris tutum reddent. Primum occasionum omnium cauta ac diligens fuga. Quod præceptum quantum in reliquis quoque conuenit obseruari, propterea, quod qui periculum amat, dignus est, qui in illo pereat, tamen hæc potissimum sunt illæ Syrenes, quas haud fere quisque euasit, nisi qui procul aufugit. Deinde victus & somni moderatio. Temperantia a voluptatibus etiam permissis. Respectus mortis tuæ, & mortis Christi contemplatio. Iurabunt & illa, si cum castis & integris conuixeris, si corruptorum & mollium colloquia, veluti pestem quandam vitaris. Si solitudinem ociosam, & ocium ignauum fugeris, sed animam celestium rerum meditatione, honestisque studiis gnauiter exercueris. Maxime vero, si sacrarum literarum investigationi toto pectore te consecraris. Si & frequenter, & pure oraueris, maxime irruente tentatione.

Eccle. 3.

¶ Aduersum irritamenta Auaritiæ.

Si senseris te vel natura propensorem ad philargiriæ vicium,